



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

ANNO
CHRISTI
433.

presbyteros vrbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium, & duos diacones ciues Romanos, Lollianum, & Leonem, & misit eos Hierosolymam, vt secundum dicta Euphemii, quidquid minus integrum inuenissent, ore eius docente, testibus 40. qui vera testificarentur secundū dicta Euphemii episcopi aduersus Polychronium episcopum, emendarent iidem episcopi, Castus, Felix, Abundius, & presbyteri, Archidamus, Petrus, & Demetrius, & diacones, Lollianus, & Leo, secundum præceptum Sixti episcopi vrbis Romæ, vel octoginta & vnus episcoporum Synodum, & quadraginta octo presbyterorum Romanorum ciuium: quinetiam in secundum chirographum Valentiniani & Theodosii Augustorum, si quid edocuiisset Euphemius episcopus de episcopo & pōtifice suo Polychronio, ambos simul, Polychronium & Euphemium, extra ciuitatem damnarent. Venientes autem in vrbem Ierusalem, introierunt feria sexta hi octo cum Euphemio episcopo, & iam sabbato suspenderunt eos abinuicem a communione. Feria autem prima celebrata sunt Missæ a Casto episcopo, qui directus fuerat a Sixto episcopo, & coepiscopis suis, & a Synodo. Feria autem secunda conuenerunt vniuersi episcopi de illis regionibus, & venerunt in eandem ciuitatem, * quasi fuisset Synodus, numero septuaginta sex episcopi isti, Epiphanius, Quiriacus, &c.

* quasi ad
Synodū,

Et federunt cum supradictis, qui directi fuerant ab vrbe Roma, & docuit omnia Euphemius in conspectu Synodi. Respondit Castus episcopus ex directione Sixti episcopi, & dixit: Vincat nos iustitia: Introducantur testes numero competenti quadraginta, vt, secundum Canonem catholicum vrbis Romæ, damnetur extra ciuitatem.

CAP. VIII.

Prima autem die Synodi tanta probatio fuit Euphemii. Qui dum non probasset omnia, quæ testificabatur prima pollicitatione damnatus est, & accepit anathema dum non docuisset omnia. Et subscripserunt omnes episcopi in eius damnationem. Leo diaconus vrbis Romæ, dixit: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecrauit coepiscopum, condemnabas & accusabas.

Concil. Tom. 7.

E ij

Cecidit autem in terram ante omne Concilium episcoporum, & ibi confitebatur se peccasse. Respondit Abundius episcopus missus ab vrbe Roma, & dixit: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam iudex non iudicabitur. Alia autem die conuenerunt in basilicam sanctam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & ibi federunt iudicantes eum. Ibi autem cum anathemate damnauerunt Euphemium vsque ad vltimum temporis sui. Et subscripserunt omnes in eius damnationem episcopi numero septuagintasex, & duo diaconi cardinales Romani, & tres presbyteri, & tres episcopi, qui directi fuerant, concluderunt, subscribentes in eius damnationem, & dum damnassent eum, exire ciuitatem iudicabant.

CAP. IX.

Et Polychronium episcopum Hierosolymitanum, quia ordinasset diaconum Æthiopem nomine Victorem, & quia ob decem libras auri ecclesias consecrabat, damnauerunt exire ciuitatem, & dederunt ei vel constituerunt prædia tria ecclesiæ, ita tamen, vt locus eius intactus seruaretur in gremio vrbis Ierusalem. Et dum cessissent ei vsufructuario prædia, subscripserunt omnes episcopi septuagintasex, & episcopi tres, & presbyteri tres, & diacones duo, & dimiserunt ibidem episcopum quasi vicarium in loco eius nomine Theodolum de Bethlehem vrbe. Et suspenderunt sedem eius, ita vt extra ciuitatem habitaret in prædiis supradictis. Et venerunt ad vrbe[m] Romam festinantes supradicti octo. Et iussit Sixtus episcopus conuenire episcopos supradictos simul cum Augusto Valentiniano, & alligauerunt vulnera eius. Gaudebat autem Augustus in damnatione Euphemii episcopi, qui extitit accusator pontificis sui Polychronii. Et subscripserunt in damnationem horum duorum, omnis Synodus, & Augustus Valentinianus, & Sixtus episcopus vrbe[m] Romæ manu propria concludit.

CAP. X.

Post menses etenim nouem, obsessa est ciuitas Ierusalē, ac laborabat fame, nec tantum fame, quantum inopia paupertatis. Polychronius autem, qui ex episcopus, vendidit publice prædia ecclesiæ supradicta pauperibus &